



Lutzenburg Ducatus.

<https://hdl.handle.net/1874/429271>



40 50 23 20 30 40 50 24 10 20 30 40 50 25 10 20 30 40 50

LIMBORG DUCAT. GULIC. ST. COLN.

NAMURCI. LEODIENSIS. PARS.

PARS. PARS. PARS.

BUILLON. BURG.

BAR ROIS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.


LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.

LOTHARINGIE. PARS.



parte fluminis, Dux Luxemburgensis principatur; tum progressu paulisper à læva factò; reliquum hinc & inde Trevirensi Archiepiscopo obtemperat.

Principatus Ardenne.

Nobilissimi olim Ardennæ Principatus originem ad Merovingorum tempora non improbabili- ter quidam referunt, necnon præclarissimos Principes ex Clodione Capillato fluxisse affirmant. Regio hæc nemoribus initio, dumetis, ac sterili solo constans, modo maxima sui parte hominum industria ad vitæ præsentis usum commoditatemque redacta est: sylvis nihilominus & multis, & densis, diversis in locis, persistentibus.

Comitatus Chiniensis.

Comitatus Chiniensis olim Chiniacus appellatus fuit. Est in eo Abbatia Auræ Vallis. Faluntur qui feudum Barri Ducatus Chiniacum esse contendunt, eo scilicet partim argumento persuasi, quod eadem utriusque Ducatus, & Comitatus prælibatorum sint insignia: quasi inde consequatur, feudum Chiniacum à Barro Dominium directum accepisse. Verum ejusmodi conjecturas infirmo niti fundamento, vel ex eo liquet, quod arma istorum minime eadem sint, sed longe dissimilia, cum Chiniensis duos pisces, trutas nomine, in aureo campo crucibus constito præferant, Barrensis vero binos barbiones in campo cæruleo, sive azuratio crucibus resperso conspiciendos exhibeant.

Comitatus Sancti Pauli alias de Roussy.

Est autem Comitatus de Roussy situ medio inter Luxemburgum & Theonisvillam itinere, à quibus æque duobus distat milliariis. Nomen huic erat antiquitus à sancto Paulo, dum Comitatus sancti Pauli appellaretur: quæ quidem nomenclatura evanuit omnino, substituto in ejus locum Roussy vel *Rutrick*; ea (ut quidam conjiciunt) ratione, quod vir quidam olim præpotens, ex Russia oriundus, hujus loci filia hærede in uxorem accepta, Comitatum ex tunc Russy, in patriæ suæ memoriam, voluerit nominari. Rustici, qui hujus distractu coercentur, interrogati cui nam pareant Domino, respondere solent: sese & sua spectare ad *Simperherren*; quod corruptè æstimatur idem velle ac *Sanct Paul herren*.

Comitatus Rupensis in Ardenna.

Rupensis Comitatus à perantiquo castro, rupi excelssæ superextructo, atque eatenus rupis nomine designato, nomenclaturam accepit; complectens suo sinu urbem ejus nominis & territorium satis amplum, atque ad aliquot miliaria extensum, atamen infœcundum valde pro maxima sui parte; quamquam hominum industria & improbo labore sic reddatur ut plurimum fructuosum, ita ut incolæ filiginem, avenam, & alia in sui, & pecorum alimentacionem opportunam exinde percipiant, utcumque abundanter. Hæc vero sæpius tali evenit modo, ut locis à vepribus, dumis, aliisque lignis ipsa occupantibus repurgatis, terram diversis profcindant instrumentis, & in partes pene ejusdem formæ divisam componant cumulos ad

modum clibani, ac denique vepres & alia minora ligna & sarmenta subicientes ignem admoveant, cujus vi totus iste terræ globus aduratur, & eam consequatur alterationem, unde aptus admodum reddatur producere grana superfeminata multipliciter aucta. Inde autem quidam affirmant, hanc & alias adjacentes ejusdem naturæ regiones, Ardennam nuncupari ab ardendo, quod scilicet terram ardere necesse sit, priusquam debitos fructus proferat. Hinc etiam fit propter ejusmodi continuos labores, simulque summum frigus, & victum sobrius, quo utuntur istorum locorum inquilini, eos esse corpore perquam robusto, & longævæ durationis. Antiquitus, dum Franciæ limites huc etiam extenderentur, solebant Reges (dum laxandi animi causa Ardennam sylvam ad venandum peterent) in castrum Rupense (tum etiam percelebre, & antiquum, utpote à Romanis mediis in sylvis excitatum) divertere, ubi & totius illius regionis, nomine suo, gubernatorem habebant constitutum, qui communiter magnus Venator, propter venandi continuum exercitium eis in locis usurpatum, dici solebat. Monstrant adhuc hodie Rupenses sedem quandam in rupe excisam, asserentes ea usum fuisse Regem Pipinum, dum vel lassus aliquantulum requiescere vellet, vel populo terræ audientiam daret, vocarique ea de causa sedem ejusmodi Regis Pipini cathedram. Fuit autem jam inde à longissimo tempore castrum hoc per ipsos, ut creditur, Franciæ Reges, Comitatus titulo honoratum, cui quamplurimi Nobiles ratione feudorum, quæ exinde ipsi tenebant, feudales habebantur.

Durbutum, amplum Dominium, arce munitum insigni, & urbe ejusdem vocabuli, Ducibus Luxemburgensibus modo parat, quod olim per se separatam habebat sui ipsius juris possessorem.

Durbutense Dominium.

Sunt præterea Dominia Marvillæ & Aranceii.

Extat in Luxemburgensi Ducatu, & partibus Ardennæ castrum perantiquum, Salma dictum, à Salmone ejus auctore, & primo Domino, qui anno post Christum natum 770, ei loco præerat, non quidem Comitatus titulo insignis, sed tantum Domini præcellentis. Porro, ut aliqui autumant, Dominium idem Comitatus dignitatem obtinuit circa Ottonis primi Augusti tempora, scilicet dum 900 aut circiter Dominicæ Incarnationis annus ageretur. Habuit olim prædictum castrum adjunctum sibi oppidulum satis egregium eodem gaudens vocabulo, quod temporum injuria, seu bellorum clade sensim urbis perdidit speciem, cujus tamen hodieque extant alicubi ruinæ, quas indigenæ veterem Salmam nuncupant. Paret Comiti huic etiam non ignobile Dominium *Stepderstsepe* nomine, non procul à dicto Comitatu situm.

Comitatus Salmensis.

In ea parte Ducatus Luxemburgensis, quæ Gallis contermina est, non procul à Mazeria, Domi-

Comitatus Visimontensis.

L V T Z E N B V R G E N S I S
D V C A T V S.



Fines.

Qualitas terræ.

Vrbes.

Arces.

Pagi.

Status Politicus.

Luxemburgum.

Vetus Lutzenburgicus nomen habet à primaria totius regionis civitate. Terminant eum ad Septentrionem Leodienses & Namurcenses, ad Austrum Lotharingi: ad Ortum Mosella cum Episcopatu Trevirensi,

ad Occasum Mosæ cum sylvâ Arduenna. Regio omnis montosa & saltuosa est, maximamque partem sylvâ Arduennâ completitur, quo fit, ut pars altera Lutzenburgi vocetur *Fammenna*, altera *Arduenna*. *Fammenna* fertilior est segetis & vini: *Arduenna* asperior: sed quæ asperitatem venationum bonitate & ferarum optimi generis mirifica abundantia compenset. Ambitus totius regionis 70 est milliarium. Flumina habet aliquot, nobilissima vero omnium Mosam & Mosellam: Vrbes viginti, vallo & fossa munitas: quarum nomina hæc sunt: *Lutzenburgum*, *Arlon*, *Rodemarc*, *Theonis villa*, *Gravemakre*, *Koninckmakre*, *Dichrich*, *Vireton*, *Essersvere*, *Vandalem*, *Bastenac*, *Mommedi*, *Neuf-chasteau*, *Danvilliers*, *Marvil*, *Roche en Ardenne*, *Durbi*, *S. Vit*, *Marche* & *Sleide*. Sunt & vrbes aliquot, quarum mœnia solo æquata. Sunt & arces, urbium pene æmulæ, S. Ioannis, & *Manderscheid*, quibus titulus est Comitatus. Pagi sunt 1169. Ducatus etiam iste sub se habet Comitatus septem, Baronatus plurimos, Dominia plurima, in quibus nobiles plus juris habent in subditos, quam per reliquam Belgicam. Status reipublicæ est penes Antistites, Nobiles, & urbium Optimates.

Lutzenburgum creditur esse Ptolemæi Augusta Romanduorum. Guicciardinus dici vult, quasi Lucisburgum, hoc est arcem Solis. Enimvero pleraque alia hujus tractus loca à Gentilium Diis denominata videri possunt: *Arlon*, quasi ara Lunæ: *Ivois* à Iove: *Marche* à Marte. Vrbs ipsa sita est loco peramœno, parte altera montoso, altera plano. Templum in ea sacrum Nicolao: Cœnobium Francisco: in quo sepultus Ioannes Lutzenburgicus Rex Bohæmiæ, filius Henrici VII, Imperatoris. Curia etiam provincie totius illic jus dicit, sermone vel Gallico vel Germanico, pro locorum ratione illuc provocantium. Germanice enim loquuntur *Lutzenburgi*, *Arloni*, *Rodemarche*, *Theonvilla*; Gallice vero *Ivois*, *Mommedi*, *Maroeil* & *Danvilliers*. Atque ob hanc causam necesse est, ut iudices & advocati, & alii curiæ officiales utramque linguam calleant. Porro urbs ista initio titulum duntaxat habuit Comitatus; atque adeo Henricus VII, Imperator, Comes fuit Lutzenburgensis, non Belgica.

Dux: Wencellai vero Regis Romanorum atque Bohæmiæ tempore, factus est ex Comitatu Ducatus. Ei ortum debuit Nicolaus Navius Præses ejus Provincie, cujus filius tanta apud Carolum V, Imperatorem gratia fuit, ut ob summas ingenii dotes Cancellarii Vicarius per univèrsum imperium ab eo fuerit constitutus. Vrbs ipsa non semel belli injurias experta est. Anno 1542 capta & spoliata à Gallis, quibus ductor erat Dux Aurelianensis. Sequenti anno iterum ab iisdem. Sed & postea vicinorum bellorum mala sensit. Imprimis anno 1552, Henrico II, Francorum Rege contra Carolum Quintum ducente exercitum in Germaniam, & omnia longe lateque igni & ferro vastante.

Arlunum edito monti superstructum est, in quo templum olim & ara Lunæ, unde corrupta paulatim voce, derivatum vocabulum *Arluni*, vulgo *Arlon*. quod Lutzenburgo quatuor, Mommedio vero sex leucis abest. oppidum alias lautum satis, sed bellis vastatum, etsi hodie paulatim restauretur, veteremque Marchionatus titulum studiose retineat. Patria hæc fuit Bartholomæi Latomi, viri egregie docti. Multa hujus oppidi monumenta antiqua, sed vetustate attrita eruit Provincie Gubernator Petrus Ernestus Comes Mansfeldicus, eaque in ædes suas, quas in suburbio Lutzenburgensi habuit, dum vixit, amplissimas, transferri curavit.

Arlunum.

Marchionatus.

Extitit antiquitus Ducatus Mosellanus, sic dictus, quod Mosellam una cum adjacentibus utrinque territoriis à Metensi civitate usque ad Treviricam urbem complecteretur. Celebris autem semper ab origine sua habitus fuit in annos circiter quingentos & viginti. Tum enim Fredericus castri Barrensis fundator, suppresso titulo Mosellanico, totum hunc tractum à Castro prædicto nuncupari voluit, ipseque Comes Barrensis indigetari. Successu porro temporis Ducatus Mosellanus in quamplurimas fuit divisus partes, multisque ac diversis Dominis (secundum illas) subjacuit, quemadmodum & hodie videre est. Metenses namque à sua incipientes civitate Marengiam usque imperium circa Mosellam obtinent. Hinc vero Luxemburgensis Dux ad oppidulum Regis Macræ vulgo *Koningmachern* utramque fluminis ripam suprema cum auctoritate possidet. Inde descendendo ad dexteram Sirquenfe oppidum cum adjacentibus terris Lotharingiæ sive Barri Dux, ad levam vero Luxemburgensis Dux agrum Mosellanum Principali itidem jure usque in Comitatus Macram sibi vendicant, ac denique isti oppidulo, & quicquid ejusdem agri usque in pagum *Egell* restat ab utraque parte

Ducatus Mosellanus.

VIII E.g. 20